


funditates scrutandas esse cōprimis adpositū. Ecce per illum Fontis alicuius altitudinem vestigaturus illius principio orificiū diametrum commensurato, & si vlnas forte capiat 5. Horoscopion statim adhibe, versoq; pinnacidio iuxta crucem sursum versus ad faciem tuam, puncta obserua, vt si punctū attingat 30. vmbrae rectae regulam sic tibi propone, 30. puncta faciunt 10. quid igitur vlnae 5. iuxta regulam inuenies 166 $\frac{2}{3}$ vlnas, profunditatem nimirum Fontis vsq; ad aquam.



Ad huiusmodi dimensionem quomodo te pares, si non aliunde, ex hac certe poteris addiscere figura.

PROBLEMA XIII.

Qua speculatione praevideri queat, an ex fonte aliquo aqua uel in urbem uel arcem quēpiam adduci possit?

A Quae ductus ex fontibus maxime in locum non editiorem quis parum artis habeant, Atq; quia eā rem plures quoq; homines (quod ferè fit) admirantur q̄ sciant, visum est hoc quoq; loco declarare. Si forte ex fonte aliquo aquā per cannales in urbem aut arcem aliquam ducere & dirigere voles, principio sit ne quod intendis possibile hoc modo me & consultore comperies & comite, Eia age igitur ad fontem hunc mecum accedito, illiq; iam



proximus Horoscopiū nostrum æqualiter fonti (ipsi nimirum superficiei aquae) retine, & filum eius pone super orbiculum crucis, & fac vt directe pendeat super lineā Zodiaci sex signorum γ δ π ϵ Ω μ , sicq; urbem istā aspice seu arcem, ad quam oculos tuos intendens si su-

pra ipsam videre queas, scias aquae huius deductionem esse possibilem, sin vero infra eam aspicias, impossibilem. Et tamen ne in hoc quoq; omnino frustra laboraris, scire te volo quod tanta tibi apparet in visione tua latens sub vrbe profunditas, in tanta altitudine fontis illius aqua adduci potest.

Fit interim, vt quā magna sit fontis ab vrbe distantia, interpositi sint montes plurimi multaq; valles, & tunc neq; si apud fontem stes, videas urbem, nec si apud urbem, fontem queas cernere. Hic itaq; apud fontē incipiens, per pinnacidia obseruabis in proximo mōte

notam